



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Variorum In Europa Itinerum Deliciae

Chyträus, Nathan

[Herborn], 1599

VD16 C 2803

De Squentibus Eorumque Similibus, Joachimi Camerarii Cautio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70708)



DE SEQUENTIBUS EO-
RUMQUE SIMILIBUS,

JOACHIMI CAMERARII

CAUTIO.

NON existimet hac legens aliquis, quasi convicii aut maledicti aut contumelia causa, hoc modo nos recensuisse sequentia: non enim placet mihi genus illud cavillatorium, quod ledit aliorum famam nobilem (quemadmodum poetice posset aliquis dicere) quodque bonam existimationem arrodit, & conatur probrum aspergere. Veruntamen quoniam scitum esse putatur, sua vitia quibus aliquis laborat non ignorare, & nulla gens aut civilis congregatio, neque omnino genus mortale, reperitur inculpatus penitus aut incontaminatum, non indignum docto ac bono esse duximus, exemplum hoc proponere inquisitionis, qua utiliter in unamquamque nationem fieri possit, ut perspicuus aliquis ignominiam aliquam gentis suae, aut latetur sentiens se ea carere, aut conetur illam deformitatem, tanquam a natura sibi attributam exercitationis quasi comtu occultare, & futilitatem contentione virtutis detergere. Ac veteres quidem veluti domestica probra annotaverunt trium praecipuarum gentium, Thracum barbaria, Phrygum insipientia, Graecorum superstitionis: nihilominus tamen & Thraces ut fortes, & tanquam intelligentes Phryges, & sapientes Graeci in admiratione fuerunt. Socratem aut Zopyrus, ex facie de ipsius natura iudicium faciens, & multa atrociter ad praesentes de illo dicens, non commovit, sed vera indicationis testem esse illi haud piguit, inquietem, ea qua dicta essent incommoda natura quodammodo sua esse implicita: seipsum vero exercitatione honesti, illa emendavisse. In humana igitur natura, ut dictum est, quod omnino inculpatum sit, non inest: divinum enim hoc erat, & hac vita aliis noxam ante alios fert. Omniumque qua extiterunt, sine crimine & reprehensione nihil est. Is vero optimus, qui bonitate consilii, celeriter vincit adoriens se quasi germen agnatum mali.

ne omnino pravitatis ditioni oppressus subjiciatur. Hac ita
 prafatus, nunc liberé proprietates nationum exponam, hoc
 modo:

REGIONUM QUARUNDAM ET
 NATIONUM PROPRIETATES.

- I. Germani bellatores, simplices, benefici.
 Ex his autem Francica natio, simplicior, & magis
 rustica, ac vehemens.
 Bavarica, sumtuosa, convivis operam dans, procax.
 Suevica, levis, loquax, gloriosa.
 Misnensis, magnifica, locuples, speciosa.
 Turingica, diffidens, attenta ad parva quoque, con-
 tentiosa.
- Saxones, dissimulatores, versuti, contumaces.
- Accolæ superiores Rheni, frugi, aperti, hospitales.
 Helvetica, conjurata, aspera, armentaria.
 Belgica, equestris, delicata, tenera.
2. Itali superbi, cupidi vindictæ, ingeniosi.
3. Hispani, despectores, consulti, rapaces.
4. Galli præditi elegantibus corporibus, intemperan-
 tes, temerarii.
5. Cimbri, magni, seditiosi, horribiles.
6. Britanni, turbulenti, negociatores, laboriosi.
7. Sarmatæ, edaces, superbi, furaces.
8. Boëmi, inhumani, novarum rerum studiosi, ad a-
 gendas prædas idonei.
9. Illyrici sive Vandali, mobiles, maligni, tumultua-
 tores.
10. Pannonæ, asperi victus, cum solo aureo, supersti-
 tiosi.
11. Græca natio, qualis nunc est, misera, ut semel di-
 cam.